W f 1725

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0001-1

III, 16.

216.

III, 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0002-7

DE. SVMMIS
SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE. IN. REM
ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM
MERITIS
PROGRAMMA. IIII

QVO
AD. FAVSTISSIMVM. ATQVE. EXOPTATISSIMVM

DIEM. NATALEM

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI
FRIDERICI. III

DVCIS. SAXONIAE
IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. ET WESTPHALIAE
LANDGRAFII. THVRINGAE. MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS. HENNEBERGAE. COMITIS. MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTAE
RAVENSTEINII. ET. TONNAE

PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI
LONGE. CLEMENTISSIMI

PATRIS. PATRIAE. LONGE. OPTIMI

D. VII. KAL. MAII. CIↃIↃCCLII.
IN. FASTIS. RECVRRENTEM
INTER. LAETAS. FAVSTORVM. ACCLAMATIONES
PER. DVOS
EQVESTRIS. ORDINIS. VERA. MENTIS. NOBILITATE. COMMENDABILES
DVOS
ORDINIS. CIVICI. INGENII. ET. PROBITATIS. LAVDE. FLORENTES
IVVENES
IN. MAIORI. ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. AVDITORIO
CRAS. AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. III
PIE. CELEBRANDVM
PERILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. ATQVE. AMPLISSIMI. AVLAE
FRIDERICIANAE. AC. VRBIS. HVIVS. PROCERES
MAECENATES. MAXIMI
CVRATORES. GYMNASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI
RELIQVI. LITTERARIAE. REI. FAVTORES
MAXIMOPERE. COLENDI
DEMISSE. AC. DECENTER. INVITANTVR
A

M. IOANNE. GOTTFRIDO. MOERLINO
ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTORE
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

ALTENBVRGI
LITTERIS. PAVLI. EMANVELIS. RICHTERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0003-3

Cum in iis, quae iam de primis ſcholae praeceptoribus allata ſunt (*a*) ſuperius, ſupplenda quaedam, quaedam etiam corrigenda notauerim, non potui, quin, priusquam in commemorandis DIVI. IOANNIS. FRIDERICI in rem noſtram ſcholaſticam meritis vlterius progrederer, adiicerem. In ſerie Rectorum vel deſideratur aliquis, vel Miſenum anno cIↄIↄLIII muneri Eccleſiaſtae admodum, ſtatim, viuo adhuc IOANNE. FRIDERICO, excepit Chilianus, quem Mullerus (*b*) Altenburgenſem fecit, Schlegelius (*c*) Norimbergenſem, cui etiam Magiſtrorum ſcholae Altenburgenſis index tabula adſtipulatur. Schnabelium primum Supremum vel Conrectorem ſecutus eſt, fidem faciente ipſa ſcheda, quae Supremus inſcribitur, anno cIↄIↄL Eſaias Boehemb, alibi exigua et ad rem ipſam nullius momenti litterarum diuerſitate Boehme ſcriptus, eumque quadriennio poſt, anno nimirum cIↄIↄLIV, quem Mors Magnanimi Electoris nati Eccleſiae patriaeque fecerat lugubrem, M. Laurentius (*d*) Molitor, Goeſnizenſ. commendatus Senatui a Philippo Melanchthone d. IX Decembr. cIↄIↄLIV, mortuus d. IV. Nouembr. cIↄIↄLVI. Qui vero Sebaſtiani primi Cantoris nomini etiam in Ludouiciana Scholarum Hiſtoria (*e*) adſcriptus legitur cIↄIↄXL, non eſt ſuſcepti muneris, ſed emortualis annus, teſte ſcripta quadam relatione, in qua haec exſtant: *1540 iſt der Erſte Cantor Sebaſtianus N. verſtorben. Dieſer hat den Anfang gemacht, in beiden Kirchen Figuraliter zu ſingen.* Huic, eadem relatione atteſtante, ſucceſſit Iacobus Thumſer 1544 et Georg. 1549, vtroque annorum numero obitum eorum, non acceſſum deſignante, cum non ſit credibile, eos, quibus cura ſacrae et ſcholaſticae rei commendata fuerat, vtramque iuſto diutius Cantore carere ordinario paſſos fuiſſe. Ad diem vsque XVII Octobr. cIↄIↄLXIX inferiori in parte aedificii ſcholaſtici omnes diſcipulorum claſſes coniunctas fuiſſe, ex iis, quorum nobis memoria tradita eſt, apparet: *1569. 17 Octobris Sind die Lectiones in dem Obern Auditorio, aufs neue zugerichtet, angefangen worden, Rectore Dn. M. Michaële Chiliano, Conrectore Dn. M. Michaële Sonnen, zuvor hat man alle Claſſes vnten beyſammen gelehret:* Quae autem qualisque prima fuerit rei ſcholaſticae conſtitutio, quibus legibus docentes diſcentesque adſtricti fuerint, indagare non contigit, vnde in opinionem adducor, ordinem docendi et modum a Luthero viſitatoribus Eccleſiarum traditum commendatumque in noſtra etiam ſchola primitus ſeruatum eſſe. Quantam enim iuuentutis in vſum rei chriſtianae et ad veram felicitatem formandae curam vir ille generoſi plenus ſpiritus geſſerit, teſtatur eius libellus inſtituendae viſitationi accommodatus, et primum quidem anno cIↄIↄXXVIII editus, poſtea, cum Henricus Pius anno cIↄIↄXXXVII in regionibus ditionis ſuae reformationem corrupti cultus diuini aggreſſus eſſet, ob inopiam exemplarium (*f*) iuſſu Electoris IO. FRIDERICI, precibus D. Iacobi Schenckii, omiſſis, quae in priori editione de vna tantum Sacrae Coenae parte fide adhuc infirmis miniſtranda indulſerat Lutherus, anno cIↄIↄXXXVIII. recuſus, in quo etiam ſcholaſticae inſtitutionis norma continetur. Titulus libelli eſt: Vnterricht der Viſitatoren an die Pfarrherrn im Chur Fürſtenthumb zu Sachſen, cuius et prior (*g*) et poſterior (*h*) editio operibus pii Lutheri inſerta eſt. Breuiario potiora complectar, vt, quid faciendum, quid fugiendum, cordatus vir monuerit, appareat. Propoſita liberorum mature in ſcholam mittendorum neceſſitate, quaedam medelam viſa exigere adducuntur, corrigendaque praecipiuntur, his praeſertim verbis: *Nun ſind viel Miſsbräuche in der Kinder Schulen: damit nun die Iugend recht gelernet werde, haben wir dieſe Form geſtellet. Erſtlich ſollen die Schulmeiſter Fleiſſ ankehren, daſſ ſie die Kinder allein Lateiniſch lehren, nicht Deutſch oder Griechiſch oder Ebreiſch, wie etliche biſsher gethan, die armen Kinder mit ſolcher Manchfältigkeit beſchweren, die nicht allein vnfruchtbar, ſondern auch ſchädlich iſt. Man ſiehet auch, daſſ ſolche Schulmeiſter nicht der Kinder Nutz bedencken, ſondern vm ihres Ruhms willen, ſo viel Sprachen furnehmen. Zum andern ſollen ſie auch ſonſt die Kinder nicht mit viel Büchern beſchweren, ſondern in alleweg Mannigfältigkeit fliehen:* quae quidem poſterior aetas, auctis per interualla temporum comparandae eruditionis ſubſidiis, inuentisque viis magis compendiariis, non per omnia ſequenda duxit, praeſertim, cum Quinctilianus (*i*) iam contra eos, qui plura eodem tempore primam aetatem docendam negauerant, diſputauerit, quanquam interdum ingenioſis magis quam validis argumentis vſus. Sed redeundum eſt ad praeſcriptam a Luthero methodum. *Zum drit-*

(*a*) PROGRAMM. II de ſummis SEREN. GENT. ERNEST. in rem Altenb. ſcholaſt. meritis.
(*b*) M. IO. MVLLER in Schediaſmate de Altenburgenſis Eccleſiae Praeſulibus.
(*c*) CHRISTIANVS. SCHLEGELIVS in Hiſt. vitae Spalatini p. 139.
(*d*) In ſcheda, magiſtrorum ſeriem exhibente nominatur Lambertus: vtrum rectius? ambigo.
(*e*) GODOFR. LVDOVICI. Hiſt. Gymnaſior. et Scholar. celebrior. P. IV. p. 160.
(*f*) conf. Viri natalibus et meritis Summi V. L. de SECRENDORF. Hiſt. Lutheraniſmi p. m. 1634.
(*g*) conf. LVTHERI. Opp. Altenburgi excuforum T. IV. p. 389-410.
(*h*) exſtat haec Opp. Altenb. T VII. p. 1-22.
(*i*) QVINCTILIANVS de Inſtitut. Orator. L. I. c. 12.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0004-8

dritten iſts noth, daſs man die Kinder zurtheile in Hauffen. Tres igitur eſſe vult claſſes vir promouendarum bonarum artium ſtudioſiſſimus, primam adſignat tironibus illisque enchiridion puerorum, litterarum elementa, orationem dominicam, ſymbolum apoſtolicum, alias precum formulas continens proponendum praecipit: tum Donatum legendum, Catonem exponendum, vtrumque abſolutum ſemel atque iterum repetendum tradi vult, porro pingendis litteris, memoriae mandandis latinis vocabulis, tandem etiam addiſcendae arti muſicae adſuefaciendos monet. Secundae claſſi adſcriptos Grammatices praeceptis imbuendos atque in arte muſica exercendos mandat. Inde Æſopi fabulas, Paedologiam Moſellani, ex colloquiis Eraſmi vtilia et caſte ſcripta, varias ſententias, Terentii fabulas, ex Plautinis etiam probatiſſimas, Aululariam nempe, Trinummum, Pſeudolum et ſimiles alias, non omiſſis tamen iis, quae ad chriſtianam religionem pertinent, cum iis tractare praeceptores iubet. Tertiae claſſis ciuibus iterum muſicam, cuius amantiſſimum nouimus, commendat, deinde Virgilium, Ouidii Metamorphoſes, Ciceronis ad familiares Epiſtolas et de Officiis libros exponi, tandemque vbi Grammaticam ſatis didicerint, ad Dialecticam et Rhetoricam admittendos ſuadet, ea tamen lege, vt ſimul per ſingulas hebdomades exercitationes ſtili tam adſtricti numeris poëticis, quam ſoluti, ab iis exigantur. Poſtremo loco, etiam latini ſermonis colloquendo exercendi neceſſitatem et praeceptoribus et diſcipulis iniungit: *Es ſollen auch die Knaben dazu gehalten werden, daſs ſie Lateiniſch reden, vnd die Schulmeiſter ſollen ſelbſt, ſo viel müglich, nichts denn Lateiniſch mit den Knaben reden, dadurch ſie auch zu ſolcher Vbung gewohnet vnd gereitzt werden.* Hanc a Luthero deſcriptam docendi viam primos ſcholae noſtrae magiſtros ingreſſos eſſe, inde etiam eſt probabile, quod Spalatinus ipſe, rei ſcholaſticae Inſpector, vnus e Viſitatoribus Eccleſiarum fuit.

Non potuiſſet ſcholae recens conſtitutae melius conſuli, quam quod Princeps ad amplificandam DEI gloriam reique litterariae ſalutem fouendam natus factusque eius cum imperio totius Saxoniae tutelam ſuſceperat. Hic enim ex vero et merito a Chytraeo (*k*) *Nutritius Eccleſiarum et ſcholarum* dictus, earundem, quemadmodum Parens iam ex hac vita emigraturus mandauerat (*l*) curam habuit longe maximam, vereque ſcripſit Lutherus (*m*): *So iſt auch da, Gott lob, ein züchtigs ehrlichs Leben und Wandel, ein wahrhafftiger Mund, eine milde Hand, Kirchen, Schulen, armen zu helffen.* Vitio datum fuerat, clauſis monaſteriis, reditus monachis ventri obedientibus negatos eſſe: rationem eius rei reddere non opprobrio, ſed laudi ducebat Elector, cuius in reſponſione ad quaeſtionem de vſu et adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorum die XI. April. CIↃIↃXL data (*n*) haec inter alia leguntur verba: *Wir haben etliche Hoſpitalin darvon verordnet und gebeſſert, Auch groſſe Zulage damit zu hohen vnd andern Schulen gethan.* Inprimis vero animi laudabiliter factorum ſumtuum conſcientia laetantis teſtimonium illud eſt; *Vnnd warlich wir wolten diſs am höchſten begehren vnnd wüntſchen, daſs die Römiſche Keyſerliche Mayeſtatt vnſer allergnedigſter Herr eygentlich, fleiſſig, vnnd gründlich, ſich der rechten Warheit erkündet, an welchen Orthen die Pfarrer, Prediger vnnd Prieſter ehrlicher vnnd freundlicher gehalten werden, wo die Kirchen vnnd Schulen am beſten beſtalt, Wo auch die Lehr, Predig, vnnd Gottesdienſt am ordentlichſten gehen, bey den Widerſachern, oder bey vns? Dann alſo wurden die Händel an ihn ſelbs reden, vnnd an vnſer ſtatt, vnſer Sach ſchützen vnnd vertretten.* In Conſtitutione de alendis ex reditibus Cathedralium Altenburgi, Gothae (*o*) atque Iſenaci Eccleſiarum in academia Nobilium paſtorum, ciuiumque filiis apud Hortlederum (*p*), teſtatur, patrem ſuum et ſemet ipſum ex conſilio Viſitatorum ter verbi diuini miniſtrorum praeceptorumque ſcholaſticorum multis in locis ſalaria additamentis auxiſſe. Cum infelici pugnae ad Mühlbergam exitu Altenburgicus Principatus ſub ditionem poteſtatemque Mauricii cecidiſſet, Wolffgangusque Teutonici Ordinis Magiſter per litteras cum Ipſo de reſtituendis Ordini bonis eccleſiaſticis expoſtulaſſet, grauiter et iuſte die XI. Febr. CIↃIↃXLIV ex Auguſta Vindelicorum vrbe reſpondebat: *Wiewol die andern Häuſer, wie der Adminiſtrator ſelbſt weiſs, als Aldenburgk, Plawen, Schlaitz, Reichenbach, Adorff, Dommitzſch vnd Danſsdorff, nunmal nit vnder meiner lieben Soehne Gebiethe, welches auch Pfarren vnd Pfarrhäuſer, Spittal vnd Schulen, vnd dieſelben darauff fundirt ſeyn; — So iſt doch derſelben Häuſer vnd Pfarren Einkommen wiederumb auff die Conſtitution vorbemeldter Kirchen vnnd Kirchen Ordnungen, auch zu Vnderhaltung der Kirchen Diener, vnd am allerwenigſten, zu andern Dingen gewandt worden, — Daſs ich*

(*k*) DAV. CHYTRAEVS in Chron. Saxon. L. II. p. 54. et L. V. p. 150.
(*l*) IO. ROSINVS in Exemplis pietatis illuſtris in Vita IO. FRIDERICI. MAGNANIMI. Y. I.
(*m*) LVTHERVS. Opp. Altenb. T. VII. p. 464.
(*n*) Conf. FRIDER. HORTLEDER de Cauſſ. Belli Germanici P. I. L. V. c. 9. p. 1126. 1127.
(*o*) Liberalitatis in Gothanas Muſas teſtis eſt conſtituta ibi anno CIↃIↃXLV. Schola publica cum Coenobio victuque gratuito XXIV adoleſcentibus adſignato.
(*p*) IDEM ibid. p. 1208.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0005-4

ich nun auch hierüber dem Adminiſtratorn vnd Teutſchen Orden, einige Abnuzung derhalben kehren ſolte, dieweil dieſelben mit Vnderhaltung mehrberührter Kirchen vnd Schulen Diener, auch Verſehung der Armen, iährlich auffgangen, wirdt mir, meines Verhoffens, vnbillig vnd zu ſonderlicher Beſchwerung zugemuthet. Idem hic Elector Indulgentiſſimus, quam per omnem vitam in rem ſacram et ſcholaſticam tot documentis declarauerat munificentiam, moriturus etiam teſtatus eſt eandemque filiis ſuis teſtamento commendauit his a Müllero (q) allegatis verbis: *Würde ſichs finden, daſſ etzliche Pfarrer vnd Schuldiener Noth vnd Mangel hätten, vnd einer fernern Zulage nothdürfftig wären, ſollen die Söhne daran nicht Mangel ſeyn laſſen.*

Viget etiam nunc SERENISSIMAE. DIVI. IOANNIS. FRIDERICI POSTERITATIS in rem noſtram ſcholaſticam gratia; ipſe hic annus cIↄIↄCCLII teſtis eſt auctae laborum ſcholaſticorum mercedis, idem animorum noſtrorum ad praedicandam Principalem indulgentiam obſtrictiſſimorum deuotiſſimorumque teſtis eſto. Nullus ad publice teſtificandam pietatem ac laetitiam exoptatior totius anni dies eſt SEPTIMO. KALENDARVM. MAII, quo SERENISSIMVS. PRINCEPS. AC. DOMINVS DOMINVS. FRIDERICVS. III. DVX. SAXONIAE. IVLIACI CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. ET. WESTPHALIAE. LANDGRAFIVS. THVRINGIAE. MARCHIO. MISNIAE. PRINCEPS. COMES. HENNEBERGAE. COMES. MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTES. RAVENSTEINII. ET. TONNAE. PRINCEPS. AC. DOMINVS. NOSTER. LONGE. CLEMENTISSIMVS. PATER. PATRIAE. OPTIMVS ſtabilendae amplificandaeque felicitati publicae ſingulari diuinae prouidentiae beneficio terris eſt conceſſus. Hunc SERENISSIMI. PRINCIPIS natalem diem inter pia pro vita et ſalute vota gratulabundi publice celebraturi ſumus. Interpretes communis omnium pietatis ſuaeque ipſorum laetitiae declaratores prodibunt *duo Generoſiſſimi virtutibusque Equeſtri Ordine dignis maximam de ſe ſpem facientes iuuenes*, *DN. IOANNES. FRIDERICVS. HENRICVS.* DE *DIESCAV. Eques Thuringicus*, *DN. IOANNES. IOACHIMVS. GOTTFRIDVS IOSEPHVS.* DE. *KVNTSCH. Eques Oſterlandicus* et cum his alii duo *probitate, ingenio ac modeſtia inſignes iuuenes Ordinis Ciuici IOANNES. GOTTLIEB. FVNCCIVS Thonbuſanus*, *CAROLVS. LVDOVICVS. GEORGIVS. GOTTSCHALCK Sondershuſanus*, quos vt *cras audita poſt meridiem hora III. in maiori illuſtris FRIDERICIANI. Gymnaſii auditorio* ſolenni ipſis fauore ac beneuolentia PERILLVSTRES EXCELLENTISSIMI. AMPLISSIMI. AVLAE. ATQVE. VRBIS. PROCERES. MAECENATES. MAXIMI. CVRATORES. GYMNASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI. FAVTORES. REI. LITTERARIAE. MAXIME COLENDI. OMNES. QVIBVS. HIC. DIES. EXOPTATVS. REDIIT frequentes audire velint, demiſſe decenterque oro.

DN. IOANNES. FRIDERICVS. HENRICVS. DE. DIESCAV. SERENISSIMVM FRIDERICVM. III. PRINCIPEM *ſubiectorum amore ac veneratione, exterorum admiratione digniſſimum* demiſſiſſime praedicabit *Oratione Gallica.*

DN. IOANNES. IOACHIMVS. GOTTFRIDVS. IOSEPHVS. DE. KVNTSCH *honorificentiſſima nonnullorum de ſingularibus* SERENISSIMI. ERNESTI. PII. *Virtutibus teſtimonia* allegabit *Oratione Teutonica.*

CAROLVS. LVDOVICVS. GEORGIVS. GOTTSCHALCK. SERENISSIMVM. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE. PROPAGATOREM IOANNEM. *rectiſſimi exempli Principem raraeque felicitatis patrem* venerabitur *Oratione Latina.*

IOANNES. GOTTLIEB. FVNCCIVS *bis ſecularem cuſtodia liberati* SERENISSIMI IOANNIS. FRIDERICI. MAGNANIMI. ELECTORIS *memoriam* recolet *Carmine heroico Latino.*

(q) IO. SEBAST. MVELLER. Annal. Saxon. p. 121.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0006-9

Wf 1725. 4o

VD18

ULB Halle 3
006 753 418

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0007-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0008-0

DE. SVMMIS

SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE. IN. REM

ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM

MERITIS

PROGRAMMA IIII

QVO

AD. FAVSTISSIMVM. ATQVE. EXOPTATISSIMVM

DIEM. NATALEM

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI

FRIDERICI. III

…IS. SAXONIAE

…MONTIVM. ANGRIAE. ET WESTPHALIAE

… MARCHIONIS. MISNIAE. PRINCIPIS. COMITIS. HEN

…S. MARCAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTAE

…AVENSTEINII. ET. TONNAE

…S. AC. DOMINI. NOSTRI

…GE. CLEMENTISSIMI

…TRIAE. LONGE. OPTIMI

…VII. KAL. MAII. CIƆIƆCCLII.

IN. FASTIS. RECVRRENTEM

…ETAS. FAVSTORVM. ACCLAMATIONES

PER. DVOS

…VERA. MENTIS. NOBILITATE. COMMENDABILES

DVOS

…GENII. ET. PROBITATIS. LAVDE. FLORENTES

IVVENES

…RIDERICIANI. GYMNASII. AVDITORIO

…DITA. POST. MERIDIEM. HORA. III

PIE. CELEBRANDVM

…CELLENTISSIMI. ATQVE. AMPLISSIMI. AVLAE

…NAE. AC. VRBIS. HVIVS. PROCERES

…CENATES. MAXIMI

…NASII. SPECTATISSIMI. GRAVISSIMI

…TTERARIAE. REI. FAVTORES

MAXIMOPERE. COLENDI

…E. AC. DECENTER. INVITANTVR

A

…E. GOTTFRIDO. MOERLINO

…RIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTORE

…NENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

ALTENBVRGI

…AVLI. EMANVELIS. RICHTERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731607-p0009-0